

aggregabit à partibus Regis, & hæreditabunt substantiam ipsius filij eius, & significat hic positus, quòd honorabitur propter fortunam suam.

In duodecima significat quòd natus infortunatus erit apud Regem, & accident ei ex parte sua impedimenta, & damna, & consequetur honorem, ex hominibus sibi insidiantibus, siue ex suis hostibus.

De domino undecimæ domus, in duodecim domibus.

Dominus undecimæ in prima significat quòd natus uincet aduersarios suos, & uidebit res quas uult & desiderat, erit in bono statu, bonæ uoluntatis, & uitæ, & si fuerit receptus, habebit res quas uoluerit, & multos amicos bonos, & de eis bonum, & ipsi de eo, & si habuerit filios, lætabitur de illis, eritq; fortunatus in rebus agendis, & plane sani corporis.

Si fuerit in secunda, habebit bonū, lucra, ac diuitias per amicos, & socios suos, fortunabitur in diuitijs, seu lucro.

Si fuerit in tertia habebit fratres claros ac nobiles, & in bono statu in sua iuuentute diuitias habituros, & prosperabitur in breuibus itineribus, & inter fratres.

In quarta significat quòd parentes nati habebunt infirmitates, & erunt in bono statu, sed breui tempore uiuent. Natus uero fortunabitur in rebus immobilibus.

Si fuerit in quinta, habebit filios, bonum, & diuitias, in tota uita sua fortunabitur in filijs, & filiabus, pariter & in conuiujs.

Si fuerit in sexta, natus in malo statu, & malæ uitæ erit, uiuet de sudore suo, eritq; breuis uitæ, fortunabitur ex familia sua.

In septima significat quòd natus habebit uxorem fortunatam, & diliget eam, habiturus cum ea diuitias, atq; bonum, prosperabitur cum uxore, significat etiam natum in pueritia pauperem, sed in senio diuitem futurum.

Si fuerit in octaua, erit infortunatus, intromittet se de mercimonijs, non tamen habebit fortunam in his, prosperabitur in hæreditate mortuorum.

Si fuerit in nona, habebit fortunam, & bonum in itineribus, eritq; fortunatus, usq; in finem uitæ, & erit fortuna eius in longinquis regionibus.

In decima significat quod natus habebit potentiam, & dominium in iuuentute, tamen eius dominium non erit, nisi super progeniem, & societatem eius, & fortuna eius erit apud eos, qui positi sunt in dignitate.

Si fuerit in undecima erit locuples, multos amicos habebit, bonum, & magnū, nomen, ac fortunam, & prosperitatem uariam, significat etiam filiorum & amicorum copiam.

Si fuerit in duodecima, modicum boni, paucos amicos habebit, erit malæ uitæ.

De domino duodecimæ domus, in duodecim domibus.

Dominus duodecimæ in prima si fuerit, natus erit laboriosus, & debellatus, habebit multos inimicos, præsertim uero domesticos, accident ei anxietates ab inimicis in principio uitæ suæ, significat etiam multitudine tristitiæ, & angustia, habebit multos insidiantes, & insidias, quæ nocebunt eius corpori, & spiritui, significat etiam nati uilitatem, &